

scripsit ad omnem sibi subjectam ditionem, ut quicunque ei Synodo non assentiret, naribus auribusque praetextis, bonis etiam suis spoliaretur. Tum vero complures sunt conversi: siuum autem adversus nostros scvitiam ostenderunt Monachi Maroniti, & Mabugenses, & Emeffeni, plurimas nostrorum Ecclesias atque Monasteria usurpantes: & quamvis nostri (ideft, Jacobita) querelas hac de re ad Heraclium Imperatorem deferrent, illis tamen aures nequaquam præbuit. Quamobrem Deus ultiōnum per Ismaelitas salutem nobis tribuit de manibus Romæorum: eis enim Ecclesia nostra non sunt nobis restituta, (quoniam Arabes rerum potiti, unicuique Religioni id possidere, permiserunt, quod ab ipsa possessum repererunt:) non parum tamen profecimus, quod a Romæorum scvitia & anaro in nos odio liberati sumus. Hactenus Abulpharagius de Athanasio.

Quod vero Bollandiani cit. num. 505. de Cyro scribunt, quem hæretici Ægyptii Alexandrinum Patriarcham agnoscere detrectantes, Benjamino suo obstinatissime feruntur adhæsse; ad rem de qua agitur, non facit. Athanasius enim ab ipsis Jacobitis ordinatus fuit: Benjaminus quoque ab Ægyptiis Jacobitis Andronico Monophysitæ suscep̄tus: ille quidem, dum Anastasius junior orthodoxis Antiochenis præcesset, hic autem dum orthodoxis Ægyptiis Georgius: Cyrum itaque tametsi unius voluntatis & operationis assertorem, idcirco agnoscere detrectarunt, tum quia duarum naturarum & Synodi Chalcedonensis palam & aperte professor esset, tum quia a Græcis, non ab Ægyptiis ordinatus, tum demum quia suum jam habebant Patriarcham Benjamini, unius naturæ, uniusque voluntatis & operationis propugnatorem.

Ad Sergium Patriarcham redeo. Theophanes ad annum Eræ Alexandrinae 622. qui Kalendis Septembr. anni Chr. 630. inchoatur, ait: *Indictione i. v. mensis Novembris die vii. Heraclio in Oriente degenti, David filius natus est. Eodemque die (imo, mense, uti circa finem Libri iii. ostendimus) Heraclius, Heraclii junioris, Constantini dicti, filius, magni Heraclii nepos, in lucem venit:*